HIERONYMUS. BEDA VENERABILIS
Admont, 12. Jh. Seite 81v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Quando appendebat fundamenta terre cum eo eram cuncta componens.
Cui simile est in euangelio. In principio erat uerbum. et uerbum erat apud
deum. et deus erat uerbum. omnia per ipsum facta sunt. Pereant ergo qui negant
dei uirtutem. et dei sapientiam. uidelicet xpm ab inicio. immo et
ante omne quod dici uel cogitari potest inicium. ab ipso patre fu-
isse progenitum. Alia translatio hoc locum ita incipit. Dominus creauit
me principium uiarum suarum in opera sua. Quod de incarnatione domini-
ca dictum patres intellegunt dicentes. quia certi gratia mysterii
dixerit. dominus creauit me. et non dominus genuit me. Caro inquiunt
dominum agnoscit. gloria patrem signat. creatura dominum confitetur. ca-
ritas patrem nouit. Principium uel in principio uiarum suarum. et ipse
ait. Ego sum uia. quia surgens a mortuis iter fecit ecclesie sue ad reg-
num dei et ad uitam eternam. In opera sua. quia ad redimenda opera patris.
a corruptale seruicio liberare. Caro enim xpi propter opera. diuini-
tas ante opera. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo
omni tempore. ludens in orbe terrarum. et delicie mee. esse cum filiis
hominum. ludentem dicit. gaudentem. Erat ergo ludens coram patre
per singulos dies. quia ut propheta ait. a principio ex diebus eternita-
tis gaudebat unum se esse cum patre. Erat omni tempore ludens
in orbe terrarum. quia et cum tempora orbis ac creature esse cepissent.
ipse quod erat cum patre filius manebat. hec ideo neque eum cum
creaturis et temporibus cepisse perhibere. Et delicie eius sunt esse cum
filiis hominum. quia desiderat in nostro amore quiescere. nos
bonque gratia meritque ad se uidendum perducere. Beatus homo
qui audit me. qui uigilat ad fores meas cottidie.
Iobseruat ad postes hostii mei. Fores suas et postes ostii
sui scripturas sanctas. et eque doctores nuncupat. sine quibus
ad uitam quam pollicetur non ualemus ingredi. Sapientia edificauit
sibi domum. Quia de eternitate diuinitatis xpi sufficienter

s

s

s

s

a ex uirgine creatus est sus-
cipiens carnem. ut opera
patris

cum